



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Nunc investigandum est utrum Leonis conatus adversùs Hilarium illi cesserit feliciter. Episcopi Gallicani putabant Leonem totam hanc camarinam movere ut ordinationes Episcoporum Galliæ in se ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

vincie non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegij sui dignitate servata. Equum est enim; nec ulli de fratribus fieri videtur injuria, si his qui sacerdotij vetustate procedunt, pro aetate sua merito in suis provinciis à sacerdotibus ceteris deferatur.

CAPVT XXXIII.

Synopsis.

I. Nunc investigandum est utrum Leonis conatus adversus Hilarium illi cesserit feliciter. Episcopi Gallicani putabant Leonem totam hanc camarinam movere ut ordinationes Episcoporum Gallia in se traheret. Quod nostri omnino nolebant.

II. Probabile est tentamenta Leonis non obsuisse dignitati Episcoporum Arelatensium. Nam deinceps Episcopi vicinarum provinciarum Arelatem conveniunt in variis occasionibus. Et Ravennius, Hilarij successor, principem ubique locum tenuit inter Episcopos Gallicanos.

III. Concilium Arelate celebratur in causa insulae Lirinensis, cui ad evocationem Hilarij interfuerunt Episcopi ex diversis provinciis.

IV. Variè scripsit Ravennius ad Episcopos, aliter ad eos scribens qui monachi non fuerant, aliter ad eos qui ex Lirinensi insula assumpti erant. Praecipue verò adesse optavit Rusticum Episcopum Narbonensem.

V. Initur narratio de vita & rebus gestis Rustici, ut etiam captata occasione illustretur memoria magni viri. Monachus fuit in monasterio Lirinensi, tum Presbyter Ecclesiae Massiliensis, demum Episcopus Narbonensis. Ad eum sanctus Leo scripsit epistolam decretalem.

VI. Deteguntur initia episcopatus ejus auctoritate inscriptionis Narbonensis, qua explicatur.

VII. Ecclesiam Narbonensem rursus edificavit, eam suis tum piorum virorum sumptibus. Limen novae illius Ecclesiae conlocatum est anno 448.

VIII. Rusticus factus est Episcopus Narbonensis anno 430. die nona Octobris.

IX. Misera scriptoris annalium Massiliensium conjectura, qui ex hac inscriptione collegit Rusticum fuisse Episcopum Massiliensem.

I. **S**UPERIORI capite epistolam à Leone adversus Hilarium scriptam per partes explicuimus; in qua agnoscere potuit eruditus lector paulò commotiorem adversus Hilarium fuisse Leonem, & nihil intentatum reliquisse quo posset illum à summæ dignitatis loco deturbare. Videamus nunc an hic conatus illi cesserit feliciter; si priùs unum adhuc ejusdem epistolæ membrum, quod de industria reservavimus huic capiti, retulerimus, ex quo patebit Gallicanorum Episcoporum animos non adeo abalienatos ab Hilario fuisse quàm Summus Pontifex optabat. Intelligere enim possumus ex hoc loco persuasos fuisse Episcopos Leonem in se trahere voluisse ordinationes Episcopo-

rum per Gallias, & ob hoc ipsum totam eam camarinam movere, ut postquam jura ordinationum Hilario adempta fuissent, ad augendam Romani Pontificis auctoritatem accederent. Quod omnino nolebant Episcopi Gallicani, qui malebant id jus ad Arelatensem Episcopum pertinere, unum videlicet ex coepiscopis suis, quàm ad Romanum. Videns ista Leo, persuasionem illam ex animis Gallicanorum Episcoporum delendam esse putavit. Itaque sic ad eos scripsit: *Non enim nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan ad depravandos vestre sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus ne quid ulterius liceat novitati, nec presumptori locus ultra jam pateat privilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere proficemur, si & apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata servetur, & per sacerdotalis disciplinae concordiam honori vestro perire quod summum est improbis usurpationibus non sinamus.*

II. Verùm, ut liberè eloquar quod sentio, non puto Leonem ista pervicisse adversus Episcopum Arelatensem, quamvis decreta sua firmari procurasset auctoritate Imperatoris Valentiniani. Manebat adhuc, ut mihi videtur in Gallorum pectoribus inclinatio in Ecclesiam Arelatensem, & metus Romanæ potestatis, tamen Leo religiosissimis verbis eam suspicionem ex animis eorum eximere tentasset. Non invenio sanè quicquam ab Hilario tentatum aut factum post ea tempora. Sed hinc colligo salvam Ecclesiae ejus fuisse suam auctoritatem, quod eo mortuo, Episcopi, non solum provinciae Viennensis, sed etiam vicinarum, ad ordinationem Ravennij conveniunt, quem haud dubiè spectabant velut Metropolitanum Galliarum. Alioqui enim non convenissent. Deinde video ad evocationem Ravennij convenisse Episcopos diversarum provinciarum; tamen Leo, in superhabita postulatione Gallicanorum Episcoporum, neque Ravennio, viro sibi acceptissimo, confirmare voluerit jura ordinationum per provincias Gallicanas, neque ei committere vices apostolicæ sedis, quas ratione Ecclesiae suae gesserant prædecessores ejus, ut docent iidem Episcopi in epistola ad Leonem. Nam in Concilio Arelatensi habito in causa insulae Lirinensis anno C D L V. interfuerunt sub Ravennio X I I. Episcopi diversarum provinciarum. Non loquor de epistola synodica Episcoporum Galliae ad Leonem, cui cum Ravennio subscripserunt X L I I I. Episcopi. Nam reponi potest congregatos eos fuisse auctoritate Leonis, qui eam curam Ravennio injunxerat ut epistola ejus ad Flavianum CP.